




Schoonhoven

<https://hdl.handle.net/1874/430414>


SCHOONHOVEN.



Angliffimis Prudentiffis, Viris
D.D. PRÆTORI, CONSULIBVS.
Scabinis et Senatui
Hujus Urbis
Tabulam hanc D.D.D.
Ivan. Blacu.

- 1. Grootz Kerck
- 2. Stads huys
- 3. Gaffhuys Kerck
- 4. S. Angoniet
- 5. S. Chiebeth
- 6. Wees huys
- 7. Oude Mannenhuys
- 8. Oude Vrouwenhuys
- 9. De Waech
- 10. i. Magafyn
- 11. Den Doel
- 12. Keyfers tooren
- 13. Loopicker poort
- 14. De Beer
- 15. Tinnerwerven
- 16. Vveerpoort
- 17. Vis markt
- 18. Cruys tooren
- 19. Vrouwpoort
- 20. Cruys poort

Virga. Roeden.



De Salm viffcherij vanden Tempel.

strepit, quod dico, patrum ipsius Petrus Longolius, vir apprime doctus, mihi narravit. Non arbitratus sum committendum, ut hoc decoris Hollandiae praeberetur. Longolio autem raræ elegantiae ingenium fuit abstrusa rerum cognitione excultum. Orator suorum temporum disertissimus fuit. Nemo post litteras renatas sine affectatione scripsit elegantius; ut Tullianæ eloquentiæ suada merito possit appellari. Testantur id orationes ejus & epistolæ, quibus nihil magis excultum. Omnem pene Europam peragravit; omnibus maximis sæculi viris acceptus. Galliarum enim Rex magnis eum ad se præmiis evocavit. Sed in Patavina Italorum Academia sedem fixit, ubi cum summo omnium luctu, in flore ætatis flos iste elegantiarum anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, ex mortali vitæ statione egressus est. Ecce tibi Epitaphium ejus à Petro Bembo positum, quod ad Franciscanos ibi spectatur:

CHRISTOPHORO LONGOLIO
BELGÆ

ROMANAM CIVITATEM PROPTER EXIMIAM IN STUDIIS LITTERARUM PRÆSTANTIAM ADEPTO, SUMMO INGENIO, INCREDIBILI INDUSTRIA, OMNIBUS BONIS ARTIBUS PRÆDITO, SUPRA IVVENTÆ ANNOS, IN QVA EXTINCTVS EST, MAGNO CVM ITALIÆ DOLORE: CVM IN-
GENTEM SPEM SVI NOMINIS EXCITAVERAT

PETRVS BEMBV
AMICO ET HOSPITI
POSVIT.

TE IVVENEM RAPVERE DEÆ, FATALIA NENTES
STAMINA, CVM SCIRENT MORITVRVM TEMPORE
NVLLO,
LONGOLI TIBI SI CANOS SENIVMQVE DEDISSENT.

Oliverii van Noort Epitaphium in Majori
hujus urbis Ecclesia sic habet:

Hic ille est totum velis qui circuit orbem,
A Magellano quartus Oliverius.



Nomen.



CHOONHOVIA ab hortorum pulchritudine & amœnitata nomen consecuta est. Schoon pulchrum, hof hortum Belgis notat. Cum autem hof aula etiam & palatium princi-

pis nominetur, urbem hanc *Bella curia* nomine Heda indigitavit. *Schoonbarvia* olim à portus commoditate appellabatur, ut in chronicis scriptis & editis paullo vetustioribus exaratum est. Quæ causa est cur *Belloportum* eam Cornelius Aurelius passim appellet.

Agger.

Circa annum c 10 c c c x x i i Florentius IV, in gratiam Ottonis III, Episcoporum Trajectensium x x v i, aggerem ad Leccam flumen ab Ameronga usque ad Schoonhoviam, magno incolarum & agrorum bono, fieri curavit.

Arx.

Circa annum c 10 c c c x i i Iohannes Hannonius, frater Guilhelmi Comitis Hollandiæ cognomento Boni, arcem Schoonhoviensem vetustate temporum collapsam in meliorem formam restituit. Sic sensim Schoonhovia crevit, accedentibus vicini oppidi Neoporti, quod à Gelris excisum est, ruinis.

Anno c 10 c c c l i x Iohannes Arckelius, Episcoporum Trajectensium x l v i i, collectis ingentibus copiis ad Schoonhoviam castra movit. Schoonhovienfes, adventu ejus percepto, obviam procedentes, manus conseruere. Sed adversa Schoonhovienfibus illa pugna fuit; è quibus Gisbertus de Lange-rack, Herpertus de Liefvelt, Conradus de Oosterwijck equites, & civium plures capti sunt.

Incendi-
um.

Anno c 10 c c c l x x v tota Schoonhovia cum Carmelitarum cœnobio, quod anno c 10 c c c x x x exstructum erat, gravi incendio funditus absumta est. Testatur id versiculus iste Leoninus tunc temporis conscriptus; *Schoonhoven insignis cum clauastro devorat ignis.*

Obsessa.

Circa annum c 10 c c c c x x i v Iacoba, in Hannonia tunc temporis agens, intellecta Iohannis Brabanti per universam Hollandiam celebrata inauguratione, Florentio Kijfhoekio in mandatis dedit Schoonhoviam quamprimum oppugnaret. Favebant Iacobæ civium præcipui, qui urbem libenti animo tradidere. Omnis in expugnanda arce difficultas posita. Præerant huic Wilhelmus Coulster & Albertus Beyling, cum quin quaginta aliis militiæ expertis viris. Hi ea omnia, quæ defendendæ arci facere videbantur, alacri & expe-

Hollandia.

dito animo præstitere. Sed tandem, rerum omnium inopia compulsi, vitæ & fortunarum suarum incolumitatem pacti, arcem tradidere. Solus Albertus Beyling veniam non impetravit. Hic ad Iacobam delatus, priusquam extremo supplicio afficeretur, menstruum sibi ad vivendos amicos curandaque bona sua spatium accepit. Statoque jam tempore exacto Iacobæ se stitit; & vivens adhuc spitanque terra obrutus est. Digna res posterorum & annalium memoria. Habent hic Hollandi, quem cum Regulo componant, cujus voluntarium ad hostes reditum, cum jam crucis supplicium paratum sibi sciret, tantopere commendant Romani scriptores. Anno proxime secuto Iohannes Brabantiæ Dux Hollandiam ingressus Iacobum Gaesbeckium cum copiis ad obsidendam Schoonhoviam, quæ recipere eum detrectabat, misit. Sed mensibus vixdum sex in ea obsidione peractis non sine ignominia discessit. Magno enim Schoonhovienfes animo fuere, sæpius in castra hostium erumpentes. Magnam, inter alia, Rotterodamenfibus cladem inflixere; quorum vexillum, captivosq; plurimos in urbem abduxerunt.

Altera
obsidio.

Anno 1488 Iohannes Naeldvicenfis eques, Hoexiorum partibus additus instructa mille militum classe Schoonhoviam oppugnaturus contendit. Sed tam alacri à civibus animo exceptus est, ut, relicta magna navium & militum classe, terga vertere fit coactus.

Schoonhovia in sinistra Leccæ ripa posita est. Salmones hic magno numero capiuntur. Ex annibus etiam, quorum unus urbem mediam fecat, alter proxime attingit, magna subvectionis commoditate floret.

Situs.
Salmonum
captura.

Schoonhoviam patriam suam habent Iohannes de Schoonhorvia. inclaruit circa annum 1413, quo ipso sermonem in Capitulo Windeshemenfi, de Monasteriis Regularium in Brabantia eidem conjungendis, cum maximo omnium applausu habuit. Vixit juxta Bruxellam in Viridi Valle Regularium S. Augustini Subprior. Plurima scripto consignavit, quæ manu exarata sparsim habentur.

Viri do-
cti.

Christophorus Longolius, de cujus tamen patria, non aliter atque Homeri, variis eruditorum sententiis certatur. Nos Schoonhoviarum gloriam hanc eripi non patimur, magni illius Desiderii Erasmi auctoritatem secuti. Ecce tibi ejus verba ex epistola ad Damianum Goes Lusitanum, & non dubitabis. *Longolium, ait, qui totus incubuit, ut Ciceronem exprimeret, hinc Gallia sibi vindicant, hinc Machlinia sibi asserit, cum revera fuerit purus purus Hollandia, prognatus à patre Hollando, in celebri Hollandiæ oppido, cui pulchritudo hortorum Schoonhovianomen dedit. Hic ne quis mihi protinus ob-*

ij K

strepit

275